

*Venite ad me, ut vivat anima vestra,
et feriam vobiscum pactum sempiternum.*

Léctio libri Isaíæ prophétæ

55, 1-11

Hæc dicit Dóminus:

- ¹ «**O**mnes sitiéntes, veníte ad aquas;
et, qui non habétis argéntum, properáte,
émite et comédite, veníte, émite absque argénto
et absque ulla commutatióne vinum et lac.
- ² Quare appénditis argéntum non in pánibus
et labórem vestrum non in saturitáte?
Audíte, audiéntes me, et comédite bonum,
ut delectétur in crassitúdine ánima vestra.
- ³ Inclínate aurem vestram et veníte ad me;
audíte, ut vivat ánima vestra,
et fériam vobíscum pactum sempitérnum,
misericórdias David fidéles.
- ⁴ Ecce testem pópulis dedi eum,
ducem ac præceptórem géntibus.
- ⁵ Ecce gentem, quam nesciébas, vocábis,
et gentes, quæ te non cognovérunt, ad te current,
propter Dóminum Deum tuum
et Sanctum Israel, quia glorificávit te.
- ⁶ Quærite Dóminum, dum inveníri potest;
invocáte eum, dum prope est.
- ⁷ Derelínquat ímpius viam suam,
et vir iníquus cogitatiónes suas;
et revertátur ad Dóminum, et miserébitur eius,
et ad Deum nostrum,
quóniam multus est ad ignoscéndum.
- ⁸ Non enim cogitatiónes meæ cogitatiónes vestræ,
neque viæ vestræ viæ meæ, dicit Dóminus.
- ⁹ Quia sicut exaltántur cæli a terra,

sic exaltatæ sunt viæ meæ a viis vestris
et cogitationes meæ a cogitationibus vestris.

- ¹⁰ Et quómodo descendit imber et nix de cælo
et illuc ultra non revértitur,
sed inébriat terram et infúndit eam
et germináre eam facit
et dat semen serénti et panem comedénti,
¹¹ sic erit verbum meum, quod egrediétur de ore meo:
non revertétur ad me vácuum,
sed fáciat, quæcúmque vólui,
et prosperábitur in his, ad quæ misi illud.

Verbum Dómini.